

& gratum, quando unius ministerium alterius functionem impedit. Nam 1, Timoth. 5. reprehenduntur viduæ, quæ ad ministerium Ecclesiæ assumptæ, nubere volebant; quia videlicet non poterant nuptiis simul & Ecclesiæ ministerio vacare, aut satisfacere.

COLLIGE: Lutherana Ecclesia (idem est de Calviniana) non est vera Apostolica Ecclesia; quia rejicit septenarium sacramentorum numerum, quem Ecclesia Apostolica semper credidit.

DE CONFESSIONE.

DEMONSTRATIO XIX.

Catholica Ecclesia est vera Apostolica Ecclesia; quia docet Confessionem particularem omnium peccatorum Sacerdoti faciendam, quam tota primitiva Ecclesia ex Christi institutione necessariam esse docuit ad salutem peccatoribus.

CAPUT I.

Confessionem singulorum peccatorum ab Apostolorum temporibus usitatam in Ecclesia fuisse, sequentes Apostolici Doctores attestantur.